

sibi reconciliare et amicitias contrahere. Id quod de Rudolpho etiam Habsburgensi Cuspinianus scribit. Is enim cum abbate S. Galli gravissimum bellum gerens, exiguo comitatu et inermis ad monasterium S. Galli sponte (dum abbas adhuc cœnaret) venit, mensæque assedit atque ita inter cœnandum secum ambo in gratiam redierunt, adeo ut mutua etiam auxilia adversus alios quosdam hostes suos sibi fuerint polliciti. Idcirco nihil etiam facile in mensa clanculum agendum vel loquendum est. Unde S. Ludovicus Francorum rex. cum viros religiosos ad mensam suam crebro adhiberet, et aliquando duos sibi in aurem colloquentes adverteret, dicebat: « Male facitis, domini mei, clam colloquendo: clara voce si quis dicendum exponite, ne quisquam vos male de se loqui suspicetur. » Joinvil. in ejus vita, c. XCIV.

VI. Colloquium honestum et quod recreet atque ædificet, instituendum. Sic enim et Dominus in hodierno convivio salutarem proposuit doctrinam; cujus exemplo incitatus etiam alius quidam in eodem convivio ait: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*. Quare in conviviis loqui decet, si non de rebus piis, exemplo illorum, qui, Tob. X. epulati sunt *benedicentes Deum*, adiphoris saltem, honestati nihil derogantibus. Certe Athenæus, lib. XIV. refert veterum in conviviis, deorum læudes decantari solitas fuisse. In conviviis Persarum ante cibum disputabatur de modestia, antequam potum de temperantia, ut refert Serinus, apud Stob. serm. XLII. Longe diversæ passim audiuntur dissertationes nostris temporibus inter pocula, spurcitia, detrectationes, risus, scurrilitates; ibi vivi sepeliuntur, sepulti exhumantur: quod ut advertit S. Chrysostomus, non pecorum, sed hominum carnes devorare est, juxta id Prov. XXIII. *Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*. Hanc ob causam S. Gregorius, homil. XL. in evang. putat epulonem illum idcirco potissimum in lingua punitum, quod cum epularetur quotidie splendide, facile inter pocula peccatis linguæ plurimum deliquerit. Id quod faciunt ordinarie divites epulones.

VII. Ambitio tollatur; ideo Dominus proponit parabolam de affectando non primo, sed ultimo potius loco. Quod ipsum alibi exemplo suo docuit, dum surgens e cœna ultima, demisit se in terram, et lavit pedes discipulorum. Qui tamen hac doctrina non vult vacuum relinqui primum locum, sed vetat eum abire et sibi arrogare, non vetat occupare, cum quis dignus ad eum vocatur et audit: *Amice, ascende superius*. Unde auctor operis imperf. hom. XLIII. in Matth. apud

Chrysost. tom. II. ait: *Non tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat: sed in qua parte mens conscientia sit collocata*. Potest ergo in summo loco esse aliquis humilis, et in imo esse superbus, uti Aristippus ille philosophus, qui cum a Dionysio tyranno positus esset ultimo loco dixit: *Voluisti nimirum, o rex, honorare ultimum locum*, apud Salmeron. tract. XXII. in parab.

VIII. Gratia aguntur ei, qui pavit, hospiti et imprimis Deo. Sic Dominus invitatori suo, quasi gratiam relaturus dat peculiare documentum: « Cum facis prandium aut cœnam, inquit, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos neque vicinos, neque divites: ne forte te et ipsi reinventent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. » Quo loco non culpantur convivia amicorum et divitum (utpote ex se indifferentia et quæ bona et mala esse possunt,) sed præponuntur illa quibus pauperes invitantur, præsertim quia convivia amicorum divitum plerumque vanitate aliqua vitiantur. Docet etiam hæc parabola modum agendi gratias Deo pro percepta refectione: nimirum si de mensa nostra pauperes cibemus; hoc enim ipse acceptum referet et retribuet in resurrectione. Ad extremum ipsi Deo datori honorum omnium gratia agenda: quod inter alios facere docuerunt S. Antonius et S. Paulus eremitarum primus, cum aliquando una versarentur, et modicum panem sumerent; de quibus S. Hieronymus in vita Pauli scribit: *Cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum, ubi tantisper recreati sunt, iterum gratias de more actis noctem in divinis laudibus consumpserunt*. Vide, quantas isti gratias pro quam modico cibo egerint. Nunc autem fere homines: *Quasi porci, ut ait Sanctus Chrysostomus, hom. LXXXIII. in Matth. cum jam comederint, eversa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant*. Vidimus alibi porcossales, eorumque diabolicam gratiarum actionem, terribili spectaculo compensatam: hic non iterandam. Nos igitur melioribus edocti, auditores, si contingat nos interesse conviviis, attendamus ad ea, quæ diximus, ne dum corpus reficimus, animam suffocemus.

CONCIO VII.

MODI CORRIGENDI PROXIMUM.

I. Non cum iracundia. — II. Non verbis asperioribus. — III. Non nimis acriter. — IV. Non ad ignominiam correcti. — V. Non sine instructione. — VI. Non importuno tempore.

THEMA.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum. Luc. XIV.

Insolubile erat argumentum, quod proposuit Dominus in hodierno evangelio legisperitis et Pharisæis (si vos asinum, qui in puteum cecidit, continuo extrahitis in sabbato: cur non in sabbato curare infirmum liceat?) siquidem: *Non poterant ad hæc respondere illi*, ait Lucas. Cæterum ex hoc indissolubili argumento, aliud itidem indissolubile colligere nobis licet, nimirum, si homini infirmo salus corporis procuranda est multo majori sollicitudine, quam asino, cur non potius homini in peccatum lapsa salus animæ? Nonne enim anima plus est quam corpus, sicut homo plus quam asinus? Puto etiam neminem futurum, qui ad hoc respondere possit. Quando quis in peccatum lethale labitur, in puteum inferni labitur, ac nisi extrahatur, in eo submergetur, et peribit æternum. Peccator igitur quivis, ejusmodi asinus est, qui in puteum incidit. Omnes vero qui asinum talem vident, et cum possent ac debent, extrahere non conantur, rei sunt asini mersi. Sed quemadmodum non est nullius artis asinum extrahere (feri enim potest ut dum asinus extrahitur, non levius damnum accipiat; quam si extractus non fuisset): ita in taxandis aliis prudens requiritur moderatio: Ne, ut Chrysost. ait, *dum rupturam sarcire volumus, majorem disruptionem faciamus, collapsaque cupientes erigere, casum graviorem inferamus*. Infirmus natator, qui dum socio pene submerso et inter aquas cum morte luctanti vult succurrere, sæpe et ipsemet se submergit. Quare ne id nobis accidat, diseamus modum corripiendi errantem, antequam corripiamus.

I. Aliqui funem injiciunt asini collo, eumque ita extrahere volunt. Sed quis non videt, eos ineptire et asinum suffocatos? Tales sunt, qui cum iracundia errantem corrigunt: hi enim suffocant eum, quemadmodum servus ille nequam conservum suum, Matth. XVIII. quia per iracundiam comprimunt illum, ne errorem suum agnoscat et deprecetur, sed correctionem ex odio profectam existimet, sicque magis pervertatur, et obstinatio fiat dum ira tua exacerbat, quo resistat iræ tuæ; siquidem nemo libenter patitur

per iram alterius se subigi. Interpretatur enim correctus correctionem illam, ex odio provenire potius quam ex charitate; et corrigens cum iracundia ostendit se non invehi in vitium, sed in hominem. Atque ita ei evenit, quod Lamech cæcutienti qui, ut tradit S. Hieronymus ex Hebræis, cum in silvam perrexisset, et a puero ductore ostenderetur ei fera, strepitu foliorum ab eo deprehensa, jaculatus Lamech occidit Cain tritavum suum qui tunc forte fugitivus in silva latebat. Et de hoc facto dixisse eum, Gen. IV. *Occidi virum in vulnus meum, etc.* volunt Hebræi. Similiter aliquando accidit, ut qui ira cæcatus errantem corrigit, ductus a sensualitate et passione iracundiæ pro fera, id est, vitio insectetur hominem.

Deinde, iratus facile limites correptionis transgredieris, utpote perturbatus mente. Hinc Plato jussit Xenocratem punire servum, quod ipse iratus esset, Laert. I. III. idemque servo dicebat: *Loris te cæderem, ni iratus essem*, ib. Ut enim per nebulam corpora, sic per iracundiam delicta aliorum majora videntur. Non utimur aqua turbata, nisi constiterit: multo minus utendum est animo commoto, priusquam ad se redierit, dicebat Socrates. Quid si hoc docere nos voluerit Dominus Deus, quando correpturus Adamum de prævaricatione, venit: *Ad auram post meridiem?* Gen. III. Quid enim sol in meridie, nisi ira in fervore? Deinde, quid aura vespertina, nisi spiritus lenitatis, quo instrui peccantem præcipit apostolus, ad Gal. VI. Sane Deus zelum Eliæ, ut opinor, non nihil repressurus, transiit coram eo, sed non in vento vehementi: (*Non in spiritu Dominus*), nec in commotione: (*Non in commotione Dominus*), nec in igne: *Non in igne Dominus*, sed in sibilo auræ tenuis (III. Reg. XIX.) hoc est, in spiritu lenitatis et mansuetudinis. Hoc modo Deus corrigere solet, non in fastu, non in perturbatione, non in ferocia. Quare S. Augustinus, in ep. ad Gal. c. VI. pulchrum documentum dat correctoribus, ut priusquam aliquem corrigant, prius se examinent, an amore ad correctionem moveantur: *Quidquid enim lacerato animo dixeris, inquit, punientis est impetus, non charitas corrigentis, dilige et dic quod voles*. Potest quidem erga subditos potissimum, aliquando iracundus præ se ferri et ostendi, ut a malo absterreantur: sed interim animus corrigentis pacatus esse debet: sicut cælum cum tonat versus nos dumtaxat commotum, superius tranquillum est. Unde August. de verbis Domini: *Foris terribilis personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio*, ait.

II. Alii auribus arripere volunt asinum et ita

puteo extrahere. Sed et isti imprudenter (non enim fert asinus se auribus apprehendi); sunt autem hi, qui verbis asperioribus corripunt errantes, eorumque aures offendunt velut cum sannis, risu, scurrillitate, contumeliis, etc. hi enim potius exasperant delinquentem, et ostendunt correctionem non a ratione et benevolentia, sed ab odio fastuque proficisci. Simili modo ad sanandum ineptior est incisio quæ fit ferro, quam quæ ære, ut scribit Aristot. sect. I. probl. XXIV. quia ferrum citius atque immitius dissolvit continuum quam æs, atque ita graviorem offert dolorem. Patet ex I. III. Reg. c. XII. quid effecerit insipiens Roboam asperrimis illis verbis ad subditos regni datis: *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Hoc enim effecit, ut deficeret ab eo populus Israel, præter tribum Juda et Benjamin, et eligeret sibi regem alium. Aliter egerunt servi Naaman, qui volentem herum cum indignatione recedere ab Elisæo et spernere consilium ejus, modeste correxerunt: *Pater, etsi rem grandem tibi dixisset propheta, certe facere debueras, quanto magis, quia dixit tibi: Lavare in Jordane septies.* IV. Reg. V. similiter corripuit Josue reum mortis Achan deprehensum: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris.* Mox enim ille peccatum suum confessus est, Jos. VII. ita bonus Loth pessimus Sodomitas, vim domui suæ inferentes: *Nolite fratres mei, nolite malum hoc facere,* Genes. XIX. sic Nathan quoque Davidem, proposita parabola de pauperis oppressore, correxit artificiose; non vocavit eum adulterum aut homicidam, licet talis esset, II. Reg. XII. sic propheta alius regem Achab, III. Reg. XX.

Possunt tamen aliquando delinquentes lenioribus conviciis, quæ erratis pene omnibus accommodari queunt et veritate utcumque fulciuntur, reprehendi, (præsertim pueri, quibus hæc probro non sunt) ut si vocentur stulti, stupidi, pertinaces, pigelli, improbi, superbi, crassa capita, etc. sic enim discipulos suos vocavit Christus *stultos*, Luc. XXIV. Baptista Judæos quosdam *genimina viperarum*, Luc. III. Paulus Galatas, *insensatos*, c. III. sic ignavi et obstinati non immerito vocantur asini, ebriosi, porci, etc.

III. Alii pedibus posterioribus apprehendere tentant asinum; qui sane miserum asellum misere cruciabant, donec eum extrahant; et forte miseriores ac prorsus inutilem facient. Hoc agunt, quoniam acriter sine lenitate delinquentes puniunt, contra id apostoli ad Gal. VI. *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruit in spiritu lenitatis.* Coti ad lapidem acuendo affundi solet aqua, et novacu-

lam præcedit lotio. Ita Samaritanus non tantum mordens vinum, sed etiam leniens oleum vulneribus sauciati infudit. Sanctus Hieronymus, in epist. ad Præsidium scribit de serpente, quod semel calamo percussus moriatur, iterum vero percussus confirmetur. Ita sæpe immodicis verberibus servi, pueri, uxores, pejores efficiuntur, qui moderatis emendantur. Fuit apud Sarmatas Moscoviæ faber quidam natione Germanus, nomine Jordanus, qui Ruthenam duxit uxorem, cum qua initio pacificè vixit. Ipsa tamen videns maritum tranquillum et bonum, quietis impatiens, animum mariti explorare volens, data occasione sic eum alloquitur: Cur me, inquit, conjux charissime, non amas? Respondet faber: Ego vero te, o conjux, etiam atque etiam amo. Nondum, refert illa, signa amoris video. Quærebat ergo maritus, qualia signa vellet, aut qualia non placerent. Cui uxor: Nunquam, ait, me verberasti. Mihi sane verbera, respondet maritus, non videntur signa amoris, sed potius discordiarum, simultatis atque odii; sed tamen, quoniam ita vis, nec hac parte tibi deero. Deinde, orta inter conjuges contentione, maritus uxorem egregie verberavit. Quo facto fassus est Jordanus publice, longe majore amore se a sua uxore post hac observatum fuisse. Cum autem sæpius eam verberaret, amor in odium versus est, mulier innata malitia æstuans ad furorem quodammodo maritum adegit, adeo ut ira percitus, tandem uxori cervicem fregerit, et mortuam relinquens, fuga sibi consuluerit. Refert Hieron. Zieglerus, de viris illustrib. German. c. CII. Patet igitur, non duriores æquo correptionem esse debere, ne qui corripitur, efferatior fiat: moderatam vero castigationem *signum amoris* esse. Apost. II. Tim. II. dixit Deum alia vasa ex auro et argento fecisse, alia ex ligno, alia ex luto. Quis autem nescit aurea pati malleum et ignem; lignea malleum, non ignem; fictilia ignem, non malleum? Itaque pro varietate subjectorum, varietas adhibenda correctionum. *Nobilis equus*, inquit Seneca, *umbra virgæ regitur: ignavus nec calcaribus concitari potest.* Bucephalus equus Alexandri Magni blanditiis delinitus ferociam deposuit, qui verberibus compesci non potuit, Curt. de rebus Alexan. Sic ingenui et delicati blande corrigendi sunt, ne in gravius peccatum impellantur, quo modo vitrea vasa dum eluuntur, leniter tractanda sunt, ne frangantur. Scimus apostolum Timotheo episcopo præcepisse: *Argue, obsecra, increpa*, sed recte monet S. Prosper, l. II. de vita contempl. c. V. hæc tria dispertienda esse pro varietate corrigendorum: « Argue coæquales, inquit, obsecra seniores, increpa juniores: quia leniter

castigatus exhibet reverentiam castiganti: asperitate autem nimia et increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem. »

Contra duræ cervices, et qui ex certa malitia peccant durius castigandi. Talibus dixit Dominus: *Vos ex patre diabolo estis*: et S. Stephanus: *Dura cervice et ineircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui s. resistitis.* Tales Dominus flagello ejecit e templo: et apostolus jussit tradi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret.

IV. Alii cauda apprehendunt asinum et sic extrahere volunt. Sed hi parum honeste tractant asinum, quid si enim caudam misero evellant? Non audebit tunc apparere asellus coram sui similibus. Istud vero agunt, qui in correctione peccati non publice pudefaciunt quem corrigunt, et famam ejus denigrant. Qui sane nihil efficient, et forte deteriores reddent, quia delinquens, ne publice confundatur, vel negabit vel defendere conabitur errorem. Hinc Dominus præcipit, Matth. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Ratio: *Verecundiam enim in facie amici gignit*, inquit Euripides, *qui verecunde amicum corrigit.* Refert Plutarch. in apophthegm. Philippum Macedonum regem sedisse aliquando ad auctionem, cum multi bello capti venderentur, parum decenter vestitum. Quidam igitur eorum qui vendebantur exclamavit: *Parce mihi Philippe, a patre enim sum tibi amicus.* Philippus interrogavit, undenam hæc amicitia conflata esset? Tum ille: *Volo, inquit, propius accedens dicere.* Qui cum admissus esset, quasi arcani quidpiam dicturus: *Dimitte, inquit, chlamydem aliquantulum: sic enim indecenter sedes.* Mox Philippus: *Hunc, inquit famulo, dimitte liberum; nesciebam enim prius illum mihi amicum esse, donec melioribus institutus sum ab ipso.* Contra Clytus, quia Alexandrum M. filium Philippi publice reprehendit, ab eodem in convivio, licet amicissimus alioquin, pugione confossus est.

Quod si tamen correctio privata non juverit, tunc ex præcepto Domini, adhibendus est testis unus aut alter, Matth. XVIII. Primo, ut ipsi testes confirmant esse peccatum id, quod proximus facit, ut ita: *In ore duorum vel trium stet omne verbum*, ait Dominus: secundo, ut testes approbent et testentur officium ejus, qui corripit; quod officio suo non defuerit: tertio, ut etiam testes corripiant delinquentem, et ita vel ipsi saltem audiantur: denique, ut reus convincatur, si recidat, se admonitum fuisse, vel etiam confundatur, ne recidat, et ut Augustinus, ep. CIX. ait:

Ne deterius putrescat in corde peccatum ejus. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, inquit Dominus, seu superioribus: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus.

Publice etiam peccantes publice arguendi sunt, I. Timoth. V. *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.*

V. Alii scalam asino demittunt, in qua de puteo ascendat. Probarem hoc, si scalas didicisset scandere asinus. Quinam vero isti? Qui arguunt solum et castigant errantes, interim vero non instruunt, quomodo se emendare et sibi in posterum cavere debeant, cum tamen apostolus dicat: *Hujusmodi instruite*, ut supra audivimus. Refert de quodam, cujus nomen silet B. Augustinus, quod cum in puteum incidisset, ejusque sortem quispiam miseratus diceret: *Quomodo huc miser decidisti*, ille facete responderit: *Quid rogas aut refert, quomodo inciderim? Age potius ut me educas*, apud Beierl. in apophtheg. christ. Ita videas aliquos delinquentibus longas proponere objurgationes, nullam vero doctrinam, qua cautiores reddantur. Parum sane faceres, si diceres alicui, quod a via recta aberret, interim rectam non monstrares. Audi S. Job, c. XXIX. *Oculus fui cæcus, et pes claudus*, ait. Hic utrumque præstitit: ut *oculus* viam docuit, ut *pes* eandem præivit. Instrue igitur, partim verbo, partim exemplo: ne alioquin arguaris uti Moyses ab Hebræo, de eodem vel graviori delicto. Vel audias id Luc. IV. *Medice cura teipsum*: et Luc. VI. *Ejice primum trabem de oculo tuo, et illud: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Nitente oratore Gorgia suadere Græcis concordiam et dissuadere similitates, exclamavit Melanthes: *Hic nobis auctor est pacis; qui nondum persuasit uxori aut ancillæ, ut consentiant.*

Aureum et regale est documentum Pacati, in panegy. Theodosii imp. *Exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.* Quin et illud M. Tulli: *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere*, respons. in Salust.

VI. Alii tempus opportunum non expectant, quo asinum educeant. Vel enim nimis cito id agunt, cum asinus adhuc furit et auxiliantem non admittit: vel nimis sero, cum pene suffocatus est. Tales sunt, qui tempore importuno delinquentes reprehendunt. Ut enim macula in papyro nec statim est eradenda, ne papyrus laceretur nec tardius debito ne profundius insideat, ita ut eradi nequeat, sic agendum in reprehensione hominum perturbatorum. Primo, ergo non sunt corrigendi valde irati ac pene furiosi, donec mitescant: neque ebrii, donec ad se redeant, (nisi dictet necessitas, aut ulterioris

damni periculum, salutis verbum minime differendum) alioquin addes iræ præsentis fomitem. Unde Eccles. c. VIII. monet: *Non incendas carbones peccatorum arguens eos.* Tradit Hippocrates, lib. IV. aphor. V. et I. VII. aphor. LXIX. sub canicula difficiles esse purgationes, eo quod natura flagrans æstivis ardoribus, non fert acrimoniam purgantis pharmaci. Et alibi scribit: « Si quis febricitanti cibum dederit, morbus. Olitoribus etiam peritis, lex, ne sub ardente sole plantas irrigent, quia tunc propter caloris copiam, radicalis plantarum humor absorbitur, ideoque languent primum, postea intereunt. » In lege etiam veteri differebatur circumcisio usque ad octavum diem, quia tenerrimus est foetus toto tempore, quod antecedit, ut tradit Arist. I. VII. de hist. anim. c. XII. Expertus est id suo damno Praxaspes Cambysis regis amicus familiarissimus, qui cum regem vino deditum admoneret, ut vino parcius uteretur, quod turpis esset regi ebrietas, rex indignatus non modo abstinuit, sed liberalius etiam bibit, et postea ejus filium adduci jussit, ipsumque sagitta confixit, et recisam e pectore, patri ostendit dicens: *Vide, an regis ebrii certa sit manus et oculus?* Herodoto auctore. Cautior fuit Abigail, quæ temulento viro suo non prius exprobravit illatam Davidi contumeliam, quam sequenti die sensit illum vino vacuum: magnam tamen vim habuit, quidquid tunc ei dixit in faciem: *Emortuum est enim cor Nabal hoc audientis, et factus est quasi lapis.* I. Reg. XXV.

Sed nec diu nimis relinquendus in puteo asinus ne submergatur, adeoque (extra prædictos casus) corripiendus est peccator, quam fieri potest, citissime, ne in peccato pereat vel indurescat, vel de peccato in peccatum labatur. Hæc enim peccatori facile contingunt. Et huc tendunt verba Domini in hodierno evangelio: *Cujus vestrum asinus in puteum cadet, et non continuo extrahet illum?* Quia scilicet periculum in mora. Accidit an. 957. in orient. ut cum Saraceni in Herculis vicum irrupissent, quidam presbyter *Themel* dictus, sacrificium incruentum peragens, ita ut erat indutus, manibus gestans Ecclesie mysterium, sic eos qui invaserant, propulsaverit, ut et multos vulneraverit, atque etiam interfecerit, reliquis in fugam versis: quam obrem interdictum ab episcopo, cum non posset impetrare veniam, ad Saracenos se conferens, christianam fidem abjuravit, multaque postea detrimenta Ecclesie imperioque intulit, ita Baronius, anno dicto ex Curopalate. Poterant ea damna unaque hominis perditio non difficile impediri, si episcopus in tempore succurrisset

lapse et clementie sinum penitenti aperire non nimis distulisset. Permultum igitur, ut videmus, refert, qua ratione quis corrigatur, nec nullius est industriae nosse eripere e puteo asinum. Ergo, auditores, ne de puteo peccati impellamus peccatorem in puteum inferni, adhibeamus quæso eam, quam dixi dexteritatem et industriam in emendandis fratribus, quo lucremur eos celo, sibi, nobis.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Misericordia exhibenda. — II. Salus proximi quaerenda. — III. Non admittenda in cor cogitationes mala. — IV. Non intermittendum opus bonum propter obtrectatores. — V. Passim undique prædicandum Dei verbum. — VI. Ambiendus ultimus locus. — VII. Convivia sic celebranda, ut mentem cum ventre pascamus.

THEMA.

Et ipsi observabant eum. Luc. XIV

Scitis, auditores, in vaginam curvam non intrare gladium rectum. Gladius, verbum Dei est, apostoli testimonio ad Eph. VI. vagina, auditorum cor seu animus est, in quem intrare, per auditum, verbum Dei debet. Cum ergo Dei verbum rectum, purum ac sincerum sit, testante Davide, Psal. XXXII. *Rectum est verbum Domini et omnes viæ ejus judicia,* rectus etiam ac sincerus auditorum esse animus debet; frustra alioquin et loquetur concionator, et auditor, quia Sapientis vox est: *In malevolam animam non introibit sapientia,* Proverb. I. quomodo nimirum rectus gladius non intrat in vaginam depravatam. In hodierno evangelio deprehendimus quidem doctorem rectum ac sincerum, Christum scilicet factis et verbis recte erudientem Pharisæos; discipulos tamen ut sic loquar, curvos et depravatos: *Ipsi enim observabant eum,* non sane ut ab ipso aliquid discerent, aut magistrum commendarent, sed ut reprehenderent. Bona fuit magistri intentio, sed mala discipulorum; rectus erat gladius Christi, sed curva Pharisæorum vagina, quia in contrarium reflexa, ad Christum arguendum: quamobrem ex miraculo et sermone Christi nihil utilitatis videntur percipisse. Vos ergo, auditores, illorum errore edocti, rectos et sinceros ad concionem afferte animos, paratos ad discendum, non ad arguendum. Porro nunc audiemus doctorem nostrum Christum.

I. Quid igitur hic docet Christus? Primo, misericordiam exhibere. Videt enim Dominus ante

se hydropicum, et statim ejus miseretur ac sanat illum. Non expectat vocem se precantis, non differt miserum ad finem convivii: ultro, motu proprio ante discubitum sanat. Hunc igitur in modum et tu, mi Christiane, cum vides coram te egentem, noli multas expectare preces, noli differre opem, sed continuo juva: *No dicas,* inquit Sapiens, Proverb. III. *amico tuo: Vade et revertere, et cras dabo tibi cum statim possis dare;* ne videlicet elabatur tibi e manibus occasio lucrandi cælum: *Nescis enim quid superventura pariat dies,* ut ait idem Prov. XXVII. Considera Tobiam, qui invitatis et confidentibus jam ad cœnam amicis, ubi audivit: *Unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea, statim exsiliens de acubitu suo, relinquens prandium, jejunos pervenit ad corpus: tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubisset, caute sepeliret eum,* Tob. II. Quanta hæc misericordia! Mortuo Israelitæ sepeliendo postponit cœnam, postponit amicos optimos. Ac licet ob hanc sepulturæ industriam jam occidi a rege jussus esset, non abstinuit tamen. Denique, sufficit illi audisse ex internuntio, quod jaceret in platea mortuus, quanto celerius exsiliisset de mensa, si coram jugulatum vidisset? Solent, quæ cernuntur, magis movere animum, quam quæ audiuntur. De sancto illo Joseph memorant ss. litteræ, quod cum vidisset fratrem suum minimum Benjaminum, commota sint viscera ejus super fratre suo, et eruperint lacrymæ, festinaritque in cubiculum ad plorandum, Gen. XLIII. Quinam vero sunt fratres nostri minimi? Nonne pauperes et egeni? De his enim ait Dominus: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* Matth. XXV. Majores natu fratres viribus et intelligentia præditi sunt, unde seipos juvare queunt, nec ita aliorum egent opera; qui natu minimus est, nec intellectu viget, nec robore corporis. Istis igitur pauperes, illis assimilantur divites. Rursum qui appellandi sunt nomine Benjamin? Nonne iidem pauperes? Etenim Benjamin filius dexteræ vocatur, sed priusquam hoc gauderet nomine, Benoni appellatus est: seu filius doloris, Gen. XXXV. Benoni quidem a matre, Benjamin vero a patre. Atqui nonne pauperes in hoc mundo filii doloris adeoque Benoni sunt? Iidem tamen in cælo erunt Benjamin, filii dexteræ Dei: *Beati enim pauperes, quia vestrum est regnum Dei,* inquit Dominus, Luc. VI. Ecclesia quidem hic sentit et vocat eos filios doloris, sed Deus suo tempore vocabit filios dexteræ suæ. Igitur, o Christiane, si minimos istos fratres tuos, si Benjaminos tuos coram intuearis, quomodo non commoveri possunt viscera tua et in lacrymas solvi? Quomodo non

effundi ad miserendum? Audi quid discipulus, quem diligebat Jesus, dicat in epist. I. c. III. *Qui habuerit substantiam hujus mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Adverte quid dicat: *Si viderit, inquit, fratrem suum necessitatem habere.* Non ait: Si libello supplicii, si precibus et lacrymis interpellatus fuerit; sed: *Si viderit dumtaxat, eum pati, non extremam calamitatem, sed necessitatem habere.* Quare ex hoc loco doctores ostendunt eleemosynæ præceptum obligare non tantum in extrema proximi necessitate, sed etiam in gravi: *Grandis culpa, inquit D. Ambros. I. I. offic. c. XXXI. si sciente te fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat.*

II. Longius ab hoc Christi exemplo discedere videntur, qui misericordiam suam, non post mensam, sed post mortem differunt. Bona quidem est eleemosyna, quam etiam morientes pauperibus relinquunt, sed multo imperfectior ea, quæ fit a vegetis et sanis. Rationem attulit S. Lucia virgo, qua et matrem Eutychem convicit, ut vivens in pauperes erogaret, quæ ad mortis horam eroganda servare volebat: *Quid enim magnum est, inquit, te dare Christo, quod necessario es relictura? Quid magnum dare, quod ferre non potes?*

Secundo, salutem proximorum magno studio quaerere. Videmus enim Christum salutem hydropico impendere, non habito respectu Pharisæorum, qui factum id culpaturi erant: nec allegare importunitatem loci et temporis, vel jacturam suæ existimationis, etc. Nam ut argumentatur Dominus, si asinus in puteum lapsus, continuo eripitur, quanto magis eripiendus homo e discrimine vitæ, e puteo hæreseos vel alterius peccati? *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est,* inquit S. Bern. ep. LIV. Sapientis monitum est: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses,* Prov. XXIV. At qui in grave aliquod peccatum lapsi sunt, nonne ad mortem et interitum eoque æternum ducuntur, imo trahuntur a demonibus. Erue igitur, o Christiane, et magna contentione eripe illos e manibus carnificum. Quando Dominus misit discipulos ad prædicandum et curandos infirmos, inter alia eis præcepit: *Nam inem per viam salutaveritis,* Luc. X. Ecce vero hæc? Quia nimirum, ut explicat S. Gregorius, magna festinatione voluit eos peregere ad lucrum animarum idque unicum sedulo curare, reliqua nullo aut ita vili habere loco, ut nihil huic curæ præferatur. Eadem phrasus usus est Elisæus, cum misit famulum suum Giezi ad excitandum filium